

~~94~~ ¹⁵ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-35.

SIGNAT. c1515CCCXIII.

VATICINIVM

DE SACRO

SANCTA MORTE ET

PASSIONE DOMINI NOSTRI IE-

SU CHRISTI ex capite quinquagesi-

mo tertio Esaiaë prophetæ desum-

ptum, Et Elegiaco Carmine ad

Lutherogermanicam trans-

lationem directo atq; es-

laborato conscri-

ptum,

ab

HEINRICH O LASTORPIO

Hornburgensi Scholæ Salinarum

Saxonicarum Neagoreæ

Cantore.



ISLEBII.

In Officina Typographica Urbani

Gubisij, Epochæ Chris-

tianæ.

clō b LXXXIV.



EPIGRAMMA.
SCRIPTVM AD

AVTOREM AB HEINRICO

Mylio Pastore Trotano.

Tempus ad est quo terra nouo stupe facta pauore
In gemit & trepidans fert pia vota Deo.
Scilicet sic CHRISTVS promissus patribus olim
In cruce pro nobis crimina nostra tulit.
Hei quis tot plagas memoret quis scommata acerba?
Quot tulit in sanctis livida signa genis?
Mox ergo intremuit magno sub pondere tellus,
Saxaq; de summis dissiluere iugis.
Phœbus & ex alto qui conspicit omnia celo,
Continuo luctus tristia signa dedit.
Quare solenni nunc fert Ecclesia ritu
Grates per dignas Christe benigne tibi,
Ergo duxisti calamum pietatis amore
Qui geris egregia pectora plena fide.
Est carmen paruum decantans funera Christi
Tristibus ast animis commoda multa feret.
Hæc pietas passo Christo gratissima laus est
Inde HEINRICE tibi fama perennis erit.
Accipias ergo lector nunc caudide carmen
Præmia scriptori fausta precare pio.
Quod restat Christus multos te seruet in annos
Ut videas pyli secula longa senis.

AMPLISSIMIS

ANTIQUA MAIORVM VIRTV-

te, gentilitia ac literata nobilitate conspicuis, nec non prudentia & iudicij dexteritate præditis viris VViro

perto à Treschkovv arcis Mauricianæ in Salinis

Saxonis præfecto, Et Geislero à Disken,

utrisq; Magdeburgicæ aulæ consiliarijs

dignissimis, Patronis ac Mece-

natib9 suis debita subiectio-

nis obseruantia co-

lendis.

Henrichus Lastorpius Hornburgensis.

Quod faustum felixq; bonis sit & vtile cunctis,

Aspiret coeptis aura secunda meis.

Iam rursas verso tempus nunc voluitur anno,

Quo factus Christus victima sacra fuit.

Cuius nunc memori reuocemus pectore mortem,

Mortis qua nostræ vincula rupta iacent.

Vindice quam dextra victus licet in trabe celsa

Succubuit, vicit: mors ea dulce lucrum.

Supplicium subijt nobis quod iure luendum,

Sanguinis vt precio culpa soluta foret.

Nunc vis Tartarei tenebrae q; limina regni

Fracta iacent, Christus læta trophæa tulit.

Mœniaq; infasti perrupit carceris, in quo

Posteritas primi clausa parentis erat.

Posthabitis igitur studijs, rebusq; profanis,

Mors Christi nobis commemoranda venit.

Amosides de qua sancto olim numine plenus

Tales sacro promisit ab ore sonos.

Ecce meus seruus faciet prudentur, & ipsi

Extollent palmas laudis amore pñ.

Sit licet excelsus multo & celebrandus honore

Attamen hunc spernet plurima turba Deum. *Il*

Illi & facies multo conspersa cruore,
Gentibus heu cunctis terror acerbus erit
Non homines gratam veneranda in fronte latentem
Agnoscent formam, qua decor omnis abest.
Aspicient oculis cupidi radiantibus ipsum,
Quos maiestatis gloria summa latet.
Fama quibus non ista vagis rumoribus aures
Concussit, soluent munera læta Deo.
Sed quis vaticino quem fundimus ore rotundo,
Credat sermoni, quem Deus ipse sonat?
Splendida namq; patris virtus latet alti tonantis,
Fortiaq; ignorat brachia quisq; Dei.
Plurima ceu profert tellus virgulta virescens.
Sic coram crescit de genitore fatus.
Ac veluti radix sterili tellure resurgit,
Quam nimius læsit sole tepente calor.
Sic etiam subito diuina propago parentis,
Ante Deum radix luxuriosa viget.
Odolor O lachrymæ, facies nam splendida torpet,
Ut trahat attonitos lurida forma viros.
Antea quem vultus cernebas ipse nitorem,
Is perit, squalor languida membra tenet.
Nullus in ore nitor splendebat, & irrita formæ
Spes erat, ac tristis fulsit imago necis.
Luctus edax, macies, nostrum cum lumina Christum
Lustrarent, aderant, multa querela simul.
Inq; adeo nullo Christus fuit exul honore,
Quid magis indignum totus hic orbis alat?
Scilicet opprobrium est triuiiale & mutile pondus
Terræ, quod merito despicit omnis homo.
Tristibus ærumnis infando & corda dolore
Squalent, & gelidus concutit ossa pavor,
Horresco referans animus mœrore fatiscit,
Stillant & lachrymis lumina nostra pñs.
Sic erat afflictus, populo & derisus ab omni,
Ut tegeret vultum turba maligna suum. Qui

Quicq; per autumnum depulsis frigore primo,
Est color in folijs, quæ noua læsit hyems:
Is lassata tenet Christi nunc membra genascq;
Quæis non luctifici causa doloris abest, (est
Nec melius valet hic quam corpore mente: sed ægra
Vtraq; pars æquæ, binq; damna capit.
Hæret & ante oculos veluti spectabile corpus,
Apparet tristis forma videnda Dei.
Quem non ista mouent cuius non discrutiant cor,
Durius hic querno stipite pectus habet.
Pertulit is nostros languores, atq; dolores
Sustinuit nostros, crimina cuncta ferens.
Et mactata cadit pro nostris hostia noxis,
In sæuas rapitur præda petita manus.
Brachia transfossus, pectus lacer, ora cruentus
De cruce sublimi flebile pendet onus.
Horrendum, Christo gelidusq; per ima cucurrit
Ossa tremor, rubeo Corpore gutta fluit.
Ora labant, tristes quatit æger anhelitus artus,
Et patitur mortis funera sæua trucis.
Heu quas sustinuit nostro pro crimine poenas?
Quæq; Dei nato non toleranda tulit?
Vulnificis virgis à iudice cæsus iniquo,
Implicitis gessit spineaserta comis.
Singula quid referam, quæ sacra volumina tradunt?
Hocq; minus nunc sunt commemoranda loco.
Hæc indigne videns Titan spectacula cælo,
Heu stetit attonitis obstupescit equis.
Tristatusq; diu mæstus, terrisq; negauit
Lumen, & in medio nox fuit orta die.
Totaq; iam nutat tellus raurumq; sub ima
Dat gemitum, & trepido mota fragore tremit,
Dumosa & querulo scinduntur murmure rupes,
Occupat horribilis cætera viua pavor.
Conditio quam dura premit te Christe Redemptor,
Non homo sed vermis nunc sine honore iaces,

Sis licet oppressus, totoque relictus ab orbe,
Attamen æternæ iura salutis habes.
Turpiter aut miseri nos heu reputauimus ipsum
Abiectum, quem non curet amecque Deus.
Tantæ molis erat peccati frangere vires,
Flectere & irati numina læsa patris
Et Satanae morsus quibus le crudeliter vrget
Omnes qui gaudent agnitione Dei.
Cur tamen astrorum Dominus, rerumque Creator
Tâm miserè in ligno funere mortis obit?
Scilicet humani generis pro Crimine Lytron
Soluit cœlesti victima grata patri.
Et simul immeritò cruciatus pertulit acres,
Ut mala vix vlla parte leuanda leuet,
Eripiat sanctos vt cœco carcere manes,
Et celsi pateant atria clusa poli.
Nos sumus ergo pia Christi bonitate redempti,
Dispersos quotquot totus hic orbis habet,
Nos Satanas dira captiuos lege tenebat,
Sed nos Tartareis ille redemit aquis.
Si non ipse Deus, qui crimine purus ab omni,
Auferat à nobis criminis omne nefas:
Et non morte sua cunctos sibi vendicet vni,
Essemus stygñs reddita præda lupis.
Sicut oues miserè dispersæ hinc inde vagantur
Sic errat proprium quisque secutus iter.
Cerneret hæc quando Christus mōx fata subiuit
Tristia, sponte ferens, vulnera flagra, necem.
Laniger utque agnus quando ad consepta macelli
Ducitur, & tremulo vix ciet ore sonos.
Est simplex ah semper ouis pecus, attamen ipse
Huius ouis gaudet simplicitate Deus.
Cumque igitur mortem Christus pateretur acerbam,
Spont e sua lætus triste subiuit opus.
Tormina pœnarum licet hic perpessus abunde,
Et non humani grande doloris onus.

Quis tamen illius summi moderamina regni,
Imperij & fines commemorare potest?
Avulsus terris ob crimina gentis iniquæ,
Heu subñt gelidæ dira pericla necis.
Purpureus presso ceu fies succisus aratro,
Languescit moriens, tum decus omne cadit.
Ipsius vt fontis sunt condita membra sepulchro
Et veluti diues morte nocente ruit.
Protulit ore nefas nullum, nec crimina iactans
Aspera, prosequitur iussa verenda patris.
Ergo animam nisi fontem pro nostro crimine tradit,
Atq; cadit iussu victima sacra patris.
Lethiferos postquam sed pertulit ipse dolores,
E tumulo sese lætus hiante feret.
Atq; oculis cernet rediuius regna beata,
Quæ nunquam finem sunt habitura suum.
Consilium patrisq; sui ratione docebit
Certa, qui nutu cuncta creata regit.
Hic seruus iustus multorum crimina tollet,
Quos faciet iustos agnitione sui.
Quare hæros fiet celeberrima regna capessens
Regibus à cunctis læta trophæa feret.
Deuictis illis spolia acquisita duello,
Vi magna eripiet, distribueta simul.
Vt victor suevit media inter tela triumphans,
In cuius validum corpore robor in est:
Funera qui multis heu tristia stragibus edit,
Militiæ statuit magna trophæa suæ.
Sic orcum postquam Dominus populator auarum
Christus pro populi bella salute gerens.
Rectoremq; Erebi sedemq; immitis Auerni,
Destruxit, validas fregit & hostis opes.
Tunc tandem surget læthæis victor ab vmbriis,
Æterni & fructum nominis inde feret.
Namq; ideò haud veritus moriens pro crimine nostro
Latrones inter sponte subire necem, a 4 Sed

Sed cur demisso capite exhalauit in alto
Stipite? Cur mortis limina opace subit?
Nimirum vt rapiat nos diri è faucibus Orci.
Fiat & offensi mollior ira Dei.
Atq; patrem sanctum tunc supplice voce rogauit
Vt transgressorum pœna remota foret.

Pia *εὐχὴ* ab autore coronidis loco
ad finem annexa.

LAUS & honor semper tibi sit dulcissimi **IESV**
Omnia sunt cuius pulsa cruore mala,
Salua nos cunctos, nos transfer in atria cœli,
Namq; tibi soli templa sacrata sumus.
Morte tua mortem peccati molo gravatis
Frangas, ô summi nate verende **DEI**.
Hæc tibi summa Deo est concessa a patre potestas,
Corporis atq; animæ damna læuare potes.
Nostrum sit meritum tua passio, mors & asylum,
Ad quod confugiat turba redempta tibi.
Atq; tuus sanguis tua vulnera amara redemptor
Vulneribus nostris sint medicina precor.

FINIS.

Imago Christi Crucifixi ex Augustino, præfixo
carmini in gratiam auctoris collegæ sui
carissimi addita.

Huc, quisquis spatioso in orbe viuis,	Vt quanto videas tui igne flagret:
Et seua scelerum grauare mole,	Extensæq; manus, quibus peroptat
Huc fixos oculos homo teneto,	Amplexu tua colla circuire:
Et CHRISTI sacra vulnera intuere,	En totum colaphis volens iniquis
Qui celsa crucis heu recumbit ara:	Exponit, rigida neciq; corpus,
Nec non sanguineum vide liquorem,	Optatam tibi quo ferat salutem,
E cordis penetralibus fluentem,	Hæc sint quanta, pia reuolue mentè,
Quo pro te moriens humum rigauit:	Vt pro te cruce qui pependit alta,
En <i>λυτῶρ</i> , redimens quod ipse soluit,	Idem corde tuo quiescat imo.
Eois preciosius lapillis:	Crudelem, pie Christe, qui subisti
Transfossam framea latus videto,	Mortem, da mea mors tua leuetur,
Transfixasq; manus, pedesq; cerne,	Ac omnem remoue cruore labem.
Quos fert, à tumuli vocatus antro,	
En inclinat humi caput Redemptor,	
Ori suaue tuo osculum daturus:	
Eius cor patet intimis reclusis,	

à Iohanne Göbelio
Ludimoderatore,

ULB Halle

3

001 853 031





Sb.

Barcode hängt a.
1. angeb. Stück, da 1. Stk. nicht i. Bd.

Stk. 6a nicht erf., als
Handschrift

12a unvollst., nicht
erfolgt





B.I.G.

Farbkarte #13

73

VATICINIVM

DE SACRO

SANCTA MORTE ET

PASSIONE DOMINI NOSTRI IESV

CHRISTI ex capite quinquagesimo

tertio Esaiæ prophetæ desumptum,

Et Elegiaco Carmine ad

Lutherogermanicam translationem

directo atq; elaborato conscriptum,


ab

HEINRICHŌ LASTORPIO

Hornburgensi Scholæ Salinarum

Saxonicarum Neagoreæ

Cantore.



ISLEBII.

In Officina Typographica Urbani

Gubisij, Epochæ Christianæ.

clō b LXXXIV.

116

